

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **M. Fabii Quintiliani Institutionum Oratoriarum Libri Duodecim**

Summa diligentia ad fidem vetustissimorum codicum recogniti ac restituti

M. Fab. Quintiliani Declamationes Undeviginti. M. Fabii Avi Et Calpurnii  
Flacci Declamationes. Auctoris Incerti Dialogus De causis corruptae  
Eloquentiae - Cvm Variorum Notis

**Quintilianus, Marcus Fabius**

**Lugd. Batav. ; Roterodami, 1665**

III. Miles Marianus. Pro milite contra tribunum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12889**

gandum est, neque habes totas preces. perit ille vester ambitus, vestra miseratio: sed nefas est ut reatus iste sentiat debilitatis adversa. Nos agendum juvenis duc, immo nostris humeris, nostris manibus innitere: nos tibi preces, nos accommodamus oculos. Quid adversaris infelix? Quid repugnas? Scimus te non rogare pro vita, sed dura miser, dura. saltem vive dum vincas. decet te hic quoque virtutum tuarum cumulus, decet ut digneris moriturus absolviri.

## DECLAMATIO III.

## MILES MARIANUS.

## ARGUMENTUM.

Bello Cimbrico Miles Marianus tribunum stuprum sibi inferre conantem, propinquum Marii occidit. Reus est cædis apud Imperatorem.

Pro Milite contra Tribunum.

**S**ATIS dedecoris atque flagitii castra ceperunt, cum shæc furenti tribuno mens subjecta est, ut in medio belli Cimbrici strepitu, ante signa (tuis bonos sit habitus sanctissimis auribus) juberet prostare gladio cinctum, & vim turpis simam ac nefariam tentaret inferre (ne quid aliud dicam) fortiori. Habet æternam labes illa memoriam & in exemplum, in quod facillime vitia proficiunt, nova culpa pernotuit. Et licet impunita sit reo virtus, sua tamen in hoc ruentis in deteriora seculi cursu, affirmo, plures erunt qui tribunum imitentur, quam qui militem. Et si nihil minus convenire videtur partibus advocati, summe Imperator, quam reo capite periclitanti subsidium miserationis auferre: memor tamen pro quo, & apud quem loquar, audacter, atque ut spero, tuto profiteor, militem tuum quicquid afferat casus hodie, sub ipso fortunæ minantis ictu stare securum. Aut enim absolves tanquam innocentem, aut punies tanquam virum. Fas est vita periclitari, qui natum se meminit lege pereundi. Neque in militiam gravissimo asperriamoque bello ita venit, ut nesciret sibi mortem in

pro-

procinctu habendam : neque est tam imbellis, ut non forti pectore adversa, dum non inhonesta, toleret. Affirmo tibi C. Mari , non sic nuper repugnasset, si illum tribunus voluissest occidere. Neque ignoravit quæ manerent eum pericula, cum obscenos furiosi corruptoris amplexus gladio divelleret. Nec habeo sane quid in milite præsertim tuo laudem , si pudicus est tantum , quia expedit : nec si sit virtæ cupidissimus , poenitere eum facti sui potest. De interfectori corruptoris fortasse dubites : illud utique scio , de impudico Milite non deliberasses. Hunc vero C. Mari (defendatur enim tam fortiter Miles tuus , quam vindicatus est) nec si damnaveris , poenitebit. Si fors ita tulerit , ibit ad poenam pleno gradu tam paratus mori pro pudicitia , quam occidere : laudemque perpetuam fortissimi pudoris secum feret. Omnis licet delatorum vis ingruat , nunquam tamen effici poterit , ut miles tuus magis doleat quod accusatus , quam quod appellatus est. Sed neque hoc Roma parens , nec signa militaria , aquilæque vicitrices , nec tua , summe Imperator , divina virtus finat , ut tua quoque sententia quisquam vir & Romanus & Miles nimium pudicus sit , apud quem ante principia agendum est. Ecce cum maxime hoc agitur , ut inter Romanarum legionum manipulos scorta deligere , & ad stuprum trahere sacramento rogatos posthac liceat ex decreto tuo : nec pudet accusatorem apud C. Marium (quod exemplum divinitus nobis datum videtur, quid in homine virtus possit) assidentibus legatis præfectisque , & ipsis , illi prodigo dissimilis tribunis toto armatorum judicio objicere Militi quod vir sit : tantumque non durum ac rusticum , sed parum meretriciis artibus queritur educatum. At ego , si qua est fides , pudicitiam in Milite etiam laudare erubesco. Fœminarum est ista virtus. Aliter laudandus est vir fortis , idoneus bello , promptus ad pericula præstantis animi : libere dicam , dignior qui tribunus esset. Hoc enim propinquo Mari , non erubesceres. Pater huic emeritis bello sti-

pendiis

pendiis tum, cum tota subnixum Numidia fregimus Ju-  
gurtham, exauktoratas armis manus agresti labore subegit.  
Prædura priscis moribus mater, frigoribus ac solibus per-  
usta, & in plerisque ruris operibus marito particeps, affir-  
mo, quam nemo appellasset impune. His ortus ipse, pro-  
cul ab omni contactu recesserat, pueriles quoque annos ali-  
quo semper opere durando, sequi pecora primo, arcere  
gregibus feras, aliquid semper audere majus annis. Ludus  
fuit rotare saxa, vibrare jaectu sudes, saltus agitare venatu,  
mox vigentibus lacertis humum scindere, segnem futuris  
novalibus eruere sylvam. Sic effectum est, ut (quemad-  
modum aliqui putant) posset cito militare. Interim ex ul-  
timo littore oceani, & dirempta frigoribus plaga, gens à  
rerum natura bene relegata, stolida viribus, indomita fe-  
ritate, insolens successu, nec minus animorum immanitate,  
quam corporum, beluis suis proxima, Italiam inundavit.  
Nec tamen tantum vi sua, quantum luxuria socordiaque  
nostrorum ducum elata, dum nos in bello quoque vitia pa-  
cis sequuntur, & delicati sumus etiam miseri, vastitatem a-  
gris, solitudinem juventuti, periculum imperio ac prope  
exitium attulit: apparuitque nunquam populo Rom. ad  
propulsandam perniciem magis viris opus fuisse. Itaque  
cum appareret soluta militiæ disciplina, & non minor no-  
bis pugna cum moribus esset, quam cum hostibus: ad uni-  
cum C. Mari cum virtutis tuæ, tum sanctitatis severitatis-  
que præsidium confugimus. Et mehercule festinarunt pa-  
rentes ad nomen liberos mittere quamvis asperrimo bello  
velut occasionem complexi, ut sub te ponere rudimenta  
militiæ contingere, cernere quotidie divinæ virtutis  
exemplum, te horratorem operum habere, te testem. Et  
cum hæc communis totius exercitus esset felicitas, dux Ma-  
rius, tamen (ô facinus indignum!) plus reliquis consecuti  
videbantur, quibus Trib. contigerat propinquus tuus.  
Quanta cura robora militum legeris Imperator, ut hostibus  
prope humanas vires excedentibus opponeres parem de-  
lectum,

lectum, vel ex eo manifestum est, quod cum scires non ex censu esse virtutem, præterita facultatum contemplatione, vires tantum animosque spectasti. Quid prodest? en quanta delectui tuo sit invidia? diceris 'adversus Cimbros puerum probasse. Sed neque te militaris ætas fefellit: cuius certissima mensura est, posse fortiter facere. Neque illa libido fuit saltem vitijs usitata, quæ ad obscœnos Veneris impetus formæ cupidine incenditur, sed quidam perditus contumeliæ amor ac summa flagitiorum voluptas, inquinare honesta: hoc ipsum quod primus ante signa procurrit, quod veteranos tyro præcedit, quod redit pulvere & cruento concretus istud, istud quod tam vir est. Vulgaria sunt irritamenta cupiditatis, forma, ætas: singularis res est fortis concubinus. Illas cicatrices, illa vulnera, illa tot eximiæ decora militiæ, quid exequar ultra? Imperator, pudet me quod intelligis. Transeo oblatam nolenti munerum vacationem & blandius quam militiæ disciplina postulat, adulatum militi tribunum, imperatas aspermissas expeditiones ut remitterentur, saepe ordinis, saepe affinitatis tuæ jactatam gratiam. Confitemur C. Mari, diutius vixit obscœnus corruptor, dum ista miles non intelligit. Non audeo dicere, Imperator, concipe animo temporis illius habitum, reforma cogitationes tuas: in aliis forsitan caussis permittatur indignitatem rei orationem exaggerare, de injuria nostra Latine queri non possumus. parcendum verbis est. inhibenda magna ex parte veritas. prævaricandum mihi est, si pudorem habeo. Collatis cum hoste gravissimo comminus castris, cum totum bellum quodam genere ad pedem venisset, & omnium mentes imminentis pugnæ cogitatio impleisset, circumfrente undique barbarico ululatu, Romano militi pro vallo excubanti, meretriciam obscœnæ libidinis patientiam aliquis imperat? Suum quisque habeat fortasse judicium: mea sententia non satis pudicus est miles, qui armatus tantum negat. Hoc expositionis lo-

C co Im-

<sup>1</sup> Adversus Cimbros puerum probasse.] Vide Grönovii Observ. 3. 24.

co Imperator, malo accusatoribus credas. Illi narrarunt rem viro & Romano & Milite tuo dignam, tantumque non ardorem luminum, horrorem capillorum, fremitum indignationis ante oculos dicendo posuerunt. Ad primum statim obscenæ libidinis sermonem, non aliter quam si in hostem classicum cecinisset, gladium illum quem à te pro pudicitia nostrarum conjugum acceperat, per pectus infandi corruptoris exegit, & in latus ultra pedem. Si omnes milites tales habemus Mari, vicimus. Verebar equidem ne fugandi corruptoris caussa ferrum strinxisset, & (quod accidere interim solet) dum alter recessurum putat, alter percussurum non putat, tam honestum opus casus fecisset. Neque enim (ut opinor) hoc quoque exigendum fuit, ut cum Cæcus amentia corruptor per vulnera ipsa rueret ad prendendos amplexus, Miles etiam gladium reduceret. Ego vero parum viriliter istum indignatum puto, si in tanto dolore Tribunum potuit agnoscere. ipse nihil excusat. Percussi, inquit. Gratia Marti, signisque. Occidi, hausi noxiū ultrice dextera sanguinem, sive licuit, sive non licuit. Atque utinam plures mortes cepisset, ut impurum spiritum renascens poena torqueret. Parum severe militarem redeuntibus suppliciis disciplinam contineamus, si Tribuno post hoc factum bene cessit quod occisus est. Reum ergo cædis non inficiatione defendam. Viro forti præsertim & innocentī nihil facere convenit quod negandum sit. Non abnuo crimen: immo si accusatores tacerent, ipse narrassem. Objicite igitur, sed ut delatores decet totum. Verecundissimum enim Militem apud sanctissimas Imperatoris aures minus pudet confiteri quam queri. Parumne dedecoris subimus, quod non de honoribus fortissimi viri queritur? & ut longissime vota procedant, rem honestissimam militi fecisse impune erit? Damnetur etiam, & pudicitiam suppicio pendat. Convenite legiones, intendite animo sancto contracta undique auxilia. Lex dicitur castris, nec pauci sunt qui hoc nolint licere,

cere, illud velint. Non me hercule possunt tenere, quo minus in accusatorem dolor meus erumpat. Quid dicis? Tu si Tribunus es, hoc fecisses? Si miles es, hoc tulisses? Date præcepta, componite disciplinam. Miles hac contumelia percussus est. Indignis vero vocibus contaminatus, <sup>1</sup> nihil amplius ageret, quam renuet? Et quis non illum inter prostitutes habeat, si commiserit ut possit iterum appellari? Neget tamen, & ultionem injuriæ suæ differat. Ita puto, cum illuserit Tribunus, queretur. Injicitur manus, & ab assignata statione Miles abducitur, ut stuprum patiatur. Vos interrogo accusatores, quid faciet? feret libidinosas manus vulnera sua tractantes? deponet arma, an reponet? Vir est enim, auctorem habet, hoc primi ordines jubent. Æquum est Tribuno Militem parere: in diem sperare etiam processus potest, pro hoc merito accipiet fortasse <sup>2</sup> vicem, ordines ducet, & sub illo alii militabunt. Si hæc conditio caußæ est, si defensio sui non permittitur, indicate, prædicite, si corruptorem non licet feriri, feret. non enim potest nuda manu repellere. Mementote, corruptor armatus est. Implicitus tamen infando nexu, cogitare quid sibi fecisset utrum id, si plura dispiciat, immo, si vindetur, quo justius queri possit patiatur. Istud vero flagitium in conatu pereat. Nam si libido ad votum obsceni corruptoris processerit, duo occidendi erunt. Liberè itaque dixerim C. Marì, quam de fortissimo Milite sententiam feras, magis tua interest. Hujus quidem gloriæ nihil plus adjici potest, quam si pro re tam honesta moriatur: hunc mirabitur sola virtutum incorrupta testis vetustas, hoc factum patres liberis vel post poenam præcipient. Tu cogita quid te sensisse homines sciant. Hoc exemplum in neutram partem potest taceri. Cogitare certum est id quenque cum judicat, probare quid in re simili ipse fecis-

C 2 set.

<sup>1</sup> Nihil amplius ageret, quam renuet.] In-  
duco pro instilio <sup>2</sup> ageret. Sic enim lo-  
qui solent. Sueton. Ner. 43. inermem se  
su conspectum exercituum proditurum, nec

quidquam aliud quam fleturum. Et in an-

tiquioribus edd. abest. Gronovius.

<sup>2</sup> Vicem.] An vitem?

set. Omnibus enim ad virile robur per pueritiam iter est,  
& jam contra libidinem maturuisse non prodest. Recon-  
gnosce incrementa tua, & honestam tantæ magnitudini  
memoriam pristinæ tenuitatis. Sine dubio te ad tot con-  
sulatus, & actos aut destinatos triumphos divina virtus  
tua sustulit. Memento tamen, & tu sub Tribuno militasti,  
nec ad hoc fastigium dignitatis tam brevi tibi venire con-  
tigisset, si sero cœpisses. Dicam nunc ego præcipuam sem-  
per curam Romanis moribus pudicitiae fuisse? Referam  
Lucretiam, quæ condito in viscera sua ferro, poenam à se  
necessitatis exegit, & ut quamprimum pudicus animus à  
polluto corpore separaretur, se ipsa percussit, quia corru-  
ptorem non potuit occidere? Si nunc placet tibi Miles,  
quid ego Virginium narrem, qui filiæ virginitatem, qua  
sola poterat, morte defendit, raptumque de proximo fer-  
rum non recusanti puellæ immersit? Divisit illi solum Appi-  
um, quem tamen populus Romanus secessione à patri-  
bus, & prope civili bello persecutus, in vincula duci coë-  
git: neque ulla res tum magis indignationem plebis com-  
movit, quam quod pudicitiam auferre tentaverat filiæ mi-  
litis. Hæc sunt honesta, hæc narranda foeminarum exem-  
pla. Nam virorum quæ pudicitia est, nisi non corrumpere?  
Non sit mihi forsitan querendum aversis auribus seculi in-  
tantum vitia regnare, ut obscœnis cupiditatibus natura cel-  
lerit, ut pollutis in foemineam usque patientiam maribus,  
incurrat jam libido in sexum suum. Finem tamen aliquem  
sibi vitia ipsa exceperunt, ultimumque ad hoc hujus flagi-  
tii crimen fuit, corrupisse futurum virum. Hoc vero cujus  
dementiæ est? In concubinatum juniores leguntur, & in  
muliebrem patientiam vocatur fortasse jam maritus. Ego  
vero gratulor militari disciplinæ, gratulor opinioni castro-  
rum, si hujus mentis Tribunus in hunc primum incidit.  
Itane tandem (juvat enim velut præsentis insequi fuorem)  
scorta tua stipendium merentur, & sub signis exoletos tra-  
his? Ideo meretrices ab exercitu summoventur, intrare  
castra

castra foeminis non licet? Ita puto, non opus est: Militem, hoc est plusquam virum, jamjamque in acie staturum, cui pro virili portione salutem suam patria commisit, appellas. Fortasse classico sonante ideo stationes circuis, ideo vigilias ambis. En quem Tribunum faceres, cum prætextati militabant? Non hic profusus est furor? non manifesta dementia est? Vides munitum gladio latus, loricam ferro asperam, clausam galea faciem, & ad terrorem belli cristas minantes, inscriptum in scuto C. Marii nomen, totum denique virum Martio habitu horrentem. Hic tibi cultus prostituti videtur? Appellabis de stupro? vim afferres? Quid deinde expectas? ut ille te Tribunum putet, cum tu illum non putas Militem? Vacat enim vitiis nostris, & ad omne votum fluente fortuna lascivit ocium, aut in eo faltem statu Resp. est, ut ad restituendam eam satis sit milites impudicos non esse. Non de prolatando tibi imperiores est, nec transmarinas (ut nuper) provincias petimus: de Italæ possessione certatur, pro aris focisque constitimus: an hæc omnia igni ferroque vastentur, an nobis caput barbarus hostis excidat, an Cimbrice loquendum sit. Vita omnium nostrum & salus (pati namque aliud ne sub hoste quidem viri timemus) in ultimum discrimen adducitur. Influxit Italæ inaudita multitudo, quam ne ea quidem potuit sustinere terra, quæ genuit: inusitata corporum magnitudo, mores etiam Germanis feri. Strage nostrorum campi latent. Jam fugitorum Carbonis atque Sylani sub comparatione felix militia est. Jacet post amissum Scaurus exercitum. Servilii Manliique bina cum tot legionibus castra perdidimus. Gens majorem terrarum partem victoriis per vagata, tantum in Mario stetit. Libenter te Imperator interrogo, in hoc rerum statu tales Milites habere malis, an tales Tribunos? In tanto belli discursu, ne concessæ quidem Veneri dares veniam.<sup>1</sup> Nam quo ad altior-

C 3

rem

<sup>1</sup> Nam quo ad altiorem, &c.] Evchitur, amplior atque augustior sit, crescit. Gronovius.

rem quisque<sup>1</sup> honorum gradum extenditur, magis in exemplum spectantibus patet. Cum alii excubent armati alii claustra portarum tueantur, alii vallum fossaque scutis innixi cingant, cibum ipsum stantes capiant, Tribunus inter scorta volutabitur? & has solas vigilias ager? ac ne ideo quidem brevem saltem frugalitatis perferet simulationem, ne hæc illum facere Milites sciant? Age porro si viveret Trib. & hoc ad te factum Imperator, deferremus, circumstaret universus exercitus, ne hanc militis contumeliam, sed militiae putaret, quid ageres? quid constitueres? Beneficium accepisti Mari, beneficium: non habes neesse propinquum tuum occidere. Nam si verè aestimemus, Imperium Pop. Rom. ad hanc diem militari disciplina stetit. Non enim nobis aut multitudo major est, quam cæteris gentibus, aut vehementiora corpora, quam vel his ecce Cimbris, aut maiores opes quam locupletissimis regnis, aut mortis contemptus facilior quam plerisque barbaris causam vitae non habentibus. Principes nos facit severitas institutorum, ordo militiae, amor quidam laboris, & quotidiana exercitatione assida belli meditatio. Itaque plura pene moribus quam viribus vicimus, cum captivæ quoque sancte habebantur & contumelia etiam hosti aberat. Quæ omnia longa superbæ nobilitatis intermissa luxuria, tui nobis mores retulerunt. Dii profecto magnitudinem tuam curant Imperator ac dirigunt, qui tibi super cæteras laudes obtulerunt tam honestæ sententiæ occasionem. Quod Miles fortiter fecit, si absolvitur, tuum exemplum est. Nisi forte hoc me perturbari putatis, quod Tribunus fuit. Ideo hercle turpior, ideo morte omni dignior. Hæc enim conditio superiorum est, ut quicquid faciunt, præcipere videantur: & perniciosissimus est malæ rei maximus quisque auctor. Quis continebit militiam? Quis castrensis disciplinæ præcipiet severitatem? Quis te Imperator majoribus curisdistricto, delicta militum coercedit? Tribuni corpus

&amp; pec-

<sup>1</sup> Honorum gradum extenditur.] Docti viri descendit, sed defendimus vulg. 3. Observ. 1. Gronovius.

& peccatum corriget? Ad quem configiam? cui querar? Sic fit ut necesse habeamus ipsi nos vindicare. Tribunus fuit & hic Miles fuit, Tribunus. Hoc dicas cui parere caligatum lex jubet, qui non solum militibus, sed centurionibus præpositus, partem quandam Imperatoriæ potestatis obtinet. Ita, opinor, contra jura castrorum fecerat Miles, etiam si tantum negasset. Nescit quod istius honoris fastigium, quæ potestas ordinis: tyro est. Age si ad te C. Mari, aliquis impudicum Militem detulisset, ferres dicentem, Tribunus me jussit? Quod si par in utraque parte delictum est, hoc tamen crimen militem saltē decet. Tribunus fuit. Videor me hercle Imperator, oblitus mediocritatis meæ, cum vix unius defensioni sufficiam; quædam pro universo dicturus exercitu. Omnes has quæ circumstetere legiones, florem Italæ, civium sociorumque robora, una voce proclamare apud tribunal existima. Non ignominia Tribuni parere possumus, nemo nostrum recusat itinerum laborem, <sup>1</sup> nec invisum super arma fascem, non æstivi solis ardorem, nec sub pellibus actam hyemem. <sup>2</sup> Ferienda sit fatigato fossa, pro vallo portisque vigilandum, fortiter ancipites inibimus pugnas, vulnera laude pensabimus, mors erit ignominia potior. Quidquid in pugna patimur, virorum est. Imperet asperas Trib. expeditiones, si quo vertice montis hostis pellendus est, si inter infestos armatis saltus speculandum: sæviat denique in terga verberibus, exigat servilem plagarum patientiam, leno etiam, <sup>3</sup> leno etiam servis excipitur, fortasse hac lege captivos vendes. Si meretricia imperatur necessitas, si adversus obscenam vim corruptoris arma tantum contumeliæ caussa habemus, potius castra capiantur, & vim Tribuni inter-

## C 4 pellet

<sup>1</sup> Nec invisum super arma.] Scribe, nec inustum super arma fascem. Accepit è tertio Georgicorum: patriis acer Romanus in armis inusto sub fasce viam dum carpit. Cicero in Oratore: Injusti oneris impositi tua culpa sit. Statius 6. Theb. Injustis collatum viribus hostem. Paulinus episto-

la <sup>2</sup> quo depresso sub inusto ineptiarum ad se nostrarum onere revertisset. Gronovius.

<sup>2</sup> Ferienda.] An fodienda? Paff.

<sup>3</sup> Lenō etiam servis excipitur.] Vide nostra ad M. Senecæ controversiam secundam. Gronovius.

pellet Cimber. Nihil tale novere Germani, & sanctius vivitur ad Oceanum. Quid futurum est Imperator, si ad pudicitiam militum pertinet vinci? An ignoramus Imperator, quanta quondam populi Romani exarserit seditio, cum ex domo fœnectoris addicetus lacero verberibus tergo prorupisset in publicum, & illas suppliciorum notas tulisse se quereretur, quod vim corruptoris pati noluisset? Et ille tamen quanquam hoc flagitium conatus in addicto ac pene servo videbatur & vix libero, aliquatenus memor fuisse Romanæ sanctitatis, qui vim obscenissimam non tentaverat nisi adversus alligatas manus: eo tamen usque populi Romani vindicta processit, ut ardentibus bello finibus, ad delectum nemo responderet, nisi & poena corruptoris & abrogatione legis satisfactum esset. Nolebant militare, quamvis hanc injuriam non miles acceperat. Quid de Fabio Eburno loquar, qui filium impudicum cognita domi caussa necavit? Jamjam commilito quicunque casus manet, etiam si te Imperator damnaturus est, habes solatum, satius est quam à patre occidi. At propinquus C. Marii fuit. Corruptitis judicem, & animo alioqui levigratiæ pondus imponitis. Propinquus tuus fuit. O rem omnibus narrandam, cum absolveris. Nam si quid tibi judicandi fides tua caussa facere permittit, cogitas profecto quantum tibi hoc ipsum apud æmulos, quos virtutibus offendis, allaturum sit invidiæ, cum videberis aut corruptorem militis judicare innocentem, aut propinquum tuum etiam vindicare nocentem. Olim jam Imperator inter fulgentes virtutes tuas livor locum quærerit, & natura quidem omnibus novitatis incrementis adversa nobilitas tuis tamen laudibus pressa & obruta rimatur occasionem criminum. Quod si bene invidiam novi, hoc quoque tibi objicietur, quod saltem propinquus tuus peccavit. Quare abdicandus & ejurandus est non tuus sanguis. Certe nihil minus committendum, quam ut ulciscaris hoc flagitium in eo præfertim, qui apud malignos poterit videri te permittere

tente fecisse. An ille si unquam cogitasset se esse propinquum tuum, non has virtutes tuas, inter quas fortuna tua minima est, cum ei velut proprius contemplari licuisset, tanto peccore haurire debuerat? Non huic affinitatis suæ felicitati referre gratiam? Milites te melius imitantur. Quod si post hanc mentem viveret Tribunus, necessarium forsitan erat hac quoque eum premi invidia, quod ista fecisset. Marii propinquus, quod ex ipsa stirpe virtutum sustulisset se flagitiis soboles.<sup>1</sup> Nam cum bene sit liberata probro familia, quid attinet illud subinde Mario objicere? Optimum fuerat non habuisse proximum, aut libenter perdidisse.

Perorata Imperator, ut mediocritas ingenii mei tulit, caussa, scio commendationis partes esse reliquas: sed has supervacuas facit sanctitas tua. Quid enim verear ne noceat reo humilitas apud te, cui vel gravior potest esse nuda virtus, apud quem maximum est ex se cœpisse? Commendem tibi ordinem caligati Militis, quem velut incrementorum tuorum natalem libenter ab alto respicis? Adhuc fortasse patricium valuerit genus, sed ductum ejus longa serie dignitatis ordinem ipsa virtutum conditione meliorem fecisti. Nondum potuit altius procedere vir adhuc hujus ætatis. Tamen cum virum fortem, cum dignum tuis castris, tuis auspiciis probarim, commendo tibi quicquid melius Miles fieri potest. Hoc quidem profecto non expectas, ut in extrema actione miserabili fletu, & humili obtestatione vitam genu nixus petat: nec tu rogari ab innocentia exigis, nec viro forti opus est precari absolutionem. Unum rogat, ut si quid de caussa illius dubitas, des dilationem usque ad proximum prælrium. Pone in prima acie: pone ante signa (fortiter dixerim) non inter tyrones, ubi plus periculi, quo maximus hostium globus ingruet: specta pugnantem; affirmo, tunc minus ignoscet Tribuno. Liceat ire in aciem, congregari cum hostibus. Si perire debet, rogat te, Imperator, miles tuus, opera mortis suæ utaris feliciter.

C 5                    DECLAM.

<sup>1</sup> *Nam cum bene.]* Ordo orationis requirit: *Nunc cum bene sit liberata.* Gron.